

89  
pugnat informare aliquod corpus & cum eò Ens per se consti-  
tuere : hinc ita nobis datur argumentari :

Q. ita sunt comparata, ut quædam sint substantiæ completæ,  
nullum corpus informare possunt & cum eò Ens per se  
constituere nequeunt; quædam verò sunt substantiæ in-  
completæ, aptæ ad informandum aliquod corpus, cum  
quò etiam Ens per se constituere queunt, illa sunt essentia-  
liter distincta & specie differunt. Atqui anima separata  
& Angeli ita sunt comparati. E.

§. 31. In posteriori quæsito affirmativam sententiam, animas  
nempe essentiali nobilitate Angelis præire, amplexus est *Grego-  
rius Venetus in opere de Harmoniâ mundi cant. 3. tom. 3. cap. 2.*  
eamque probare ausus fuit sequentibus rationibus (1.) Quia  
cum duo genera ad invicem comparantur, illud sanè est nobi-  
lius, in quò id, quod eminent, præstantius est, quàm quod cminet  
in alterò, *docente Arist. 10. Ethic.* Atqui in animarum rationa-  
lium genere Christi anima propter unionem hypostaticam ad  
*λόγον* nobilior est, quàm quivis Angelus. E. Genus animarum  
præstat Angelorum generi. (2.) Quia Angeli sunt ministratorii  
Spiritus, qui *in ministerium emittuntur propter eos, qui heredes  
erunt salutis Hebr. 1. v. ult.* at ratio Ministri vilior est, quàm ejus,  
cui tale fit ministerium. E. Angeli ignobiliores sunt animabus,  
ad quarum ministerium fuèrunt emissi. Hisce tamen nò obstan-  
tibus dicendum esse videtur, animas rationales essentiali nobi-  
litate inferiores esse Angelis, quam assertionem *Colleg. Conimbr.  
de an. sep. disp. 1. art. 7. August. l. 11. de Civ. Dei c. 15. Hieronym. ad  
c. 11. Matth.* aliiq; tuentur. Idq; evinci poterit ex eò, quia animæ  
rationales incompleta entia sunt essentialiter, & ad materiam  
ordinantur, formalesq; causæ sunt compositorum, hæc autem  
animæ & imperfectionem involvere videntur, & ab Angelis  
sunt aliena. E. illi multò perfectioris essentiæ erunt quàm ani-  
mæ, quia omne completum nobilior est incompleto comparan-  
dò res ejusdem ordinis. Ad (1.) Resp. *B. Scheiblerus*; Eminentiam  
animæ Christi non esse ex naturalibus conditionibus, sed ex  
supernaturali gratiâ. Gratiam autem extraordinariam & emi-  
nentiam DEUS tanquam liberrimū agens æquè potest tribuere